DE

VERITATIBUS ÆTERNIS

APUD CARTESIUM

PARISIIS. — EX TYPIS E. MARTINET, RUE MIGNON 2

DE

VERITATIBUS ÆTERNIS

APUD CARTESIUM

HÆC

APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM DISPUTABAT

EM. BOUTROUX

Olim Scholæ normalis alumnus

« Nous ne devons concevoir aucune préférence ou priorité entre l'entendement de Dieu et sa volonté. »

CARTESIUS, *Ep. ad qd. R. P. Jesuitam* (P. Mesland), 1644, edit. Garnier, vol. IV, p. 148 (edit. in-12, vol. II, p. .

EDEBAT PARISIIS

GERMER BAILLIÈRE, BIBLIOPOLA

RUE DE L'ÉCOLE-DE-MÉDECINE, 17

MDCCCLXXIV

MAGISTRO SUO

J. LACHELIER

IN SCHOLA NORMALI PHILOSOPHIÆ PROFESSORI

GRATI ET DEVOTI ANIMI HOC PIGNUS

D. D. D.

REVERENTISSIMUS

AUCTOR.

DE

VERITATIBUS ÆTERNIS
APUD CARTESIUM

INTRODUCTIO

CARTESIANI DE VERITATIBUS ÆTERNIS LOCI

Constanter et explicate professus est Cartesius veritates æternas non Deo, tanquam subjecto, inesse, sed ab illo, tanquam a legislatore, effectas fuisse.

1. Cartesius xv aprilis 1630, id est septimo anno ante editam *De Methodo* dissertationem, scripsit hæc ad P. Mersennum de relatione veritatum æternarum ad voluntatem et potentiam Dei (1) : « Les vérités » métaphysiques, lesquelles vous nommez éternelles, » ont été établies de Dieu et en dépendent entière» ment, aussi bien que tout le reste des créatures. » C'est en effet parler de Dieu comme d'un Jupiter

(1) Edit. Garnier, vol. IV, p. 303 (edit. in-12, vol. IV, ep. 71).

» ou d'un Saturne et l'assujettir au Styx et aux desti-
» nées, que de dire que ces vérités sont indépendantes
» de lui. Ne craignez point, je vous prie, d'assurer et
» de publier partout que c'est Dieu qui a établi ces
» lois en la nature, ainsi qu'un roi établit les lois en
» son royaume. » Addit Cartesius veritates illas, etsi libere a Deo positas, esse tamen immutabiles, quum divina voluntas sit immutabilis; divinam ceteroquin potentiam incomprehensibilem esse; et generatim jure quidem afferri, Deum posse omnia illa facere, quæ comprehendere possumus, non vero eum non posse facere ea, quæ non possumus comprehendere.

Sæpius postea doctrinam eamdem celebravit Cartesius, neque ex ea unquam illa detraxit quæ nonnullis duriora videbantur.

2. In epistola x maii 1630 ad P. Mersennum scripta (1), declarat ille non posse revera sine blasphemia dici veritatem cujuspiam rei priorem esse cognitione Dei; Dei enim existentiam esse veritatum omnium possibilium primam, et maxime æternam, et solam unde reliquæ omnes procedant.

3. In epistola anno 1637 ad amicum quemdam P. Mersenni scripta (2), confirmat Deum esse essentiæ creaturarum non minus quam earum existentiæ auctorem; essentiam autem illam, ad summam, non differre ab æternis veritatibus. Sciri quidem posse, Deum esse infinitum et omnipotentem, quanquam mens nostra, utpote finita, nequeat illud comprehendere, eodem nimirum modo quo montem, ut non bra-

(1) Edit. Garnier, vol. IV, p. 134 (edit. in-12, vol. II, ep. 43).
(2) Edit. Garnier, vol. IV, p. 123 (edit. in-12, vol. II, ep. 41).

chiis amplecti, ita saltem manibus tangere possimus. Porro fuisse Deo æque liberum facere, ne verum foret omnes lineas ductas a centro circuli ad peripheriam esse æquales, atque creare mundum. Neque sejungendam esse operationem qua æternas veritates effecerit ab illa qua easdem voluerit et intellexerit : quum in Deo idem sit velle, intelligere et creare, neque eorum quidquam reliquis, vel ratione, prius sit.

4. In responsionibus ad V^tas objectiones (1641) (1) Cartesius veritates mathematicas quum immutabiles et æternas esse declarat, tum a Deo, saltem tanquam essentias haud substantialiter existentes, dispositas esse.

5. In responsionibus ad VI^tas objectiones (1641) duo de præsenti quæstione loci reperiuntur.

Quorum unus (2) pertinet ad V^tum scrupulum P. Mersenni Cartesium arguentis Dei libertatem destruere, quum illa quidem indifferens esse debeat, Cartesius autem indifferentiam, quod ad hominem spectat, pro infimo gradu libertatis habeat. — Ratio quidem divinæ libertatis, noster ait, non eadem est atque humanæ. Quantum enim ad hominem, quum naturam omnis boni et veri jam a Deo determinatam inveniat, indifferens esse non potest, nisi quando quidnam sit melius aut verius ignorat. Quamobrem indifferentia non pertinet ad essentiam humanæ libertatis. Deus autem effector est boni et veri, ejusque voluntas ab æterno indifferens fuit ad omnia quæ facta sunt aut unquam fient.

(1) *De V^ta Medit.*, § 1, edit. Garnier, vol. II, p. 318.
(2) § 11, edit. Garnier, vol. II, p. 362.

Alter autem locus (1) respondet ad VIII^{vum} scrupulum quo P. Mersennus rogat qui fieri possit, ut veritates geometricæ aut metaphysicæ sint immutabiles et æternæ, nec tamen independentes a Deo. — Scilicet si qua ratio boni vel veri ejus præordinationem antecessisset, non fuisset Deus plane indifferens ad ea creanda quæ creavit, quod profecto admitti nequit. Ergo Deus causa efficiens vel boni verique vocari debet. Quod ita esse rectissime intelligimus, etsi non intelligimus, quomodo id fiat. Nobis autem non tantum sumendum, ut putemus quidquid vel ad Deum attineat, nobis intelligibile esse debere.

6. In epistola anno 1644 ad quemdam R. P. Jesuitam (P. Mesland) scripta (2) negat Cartesius Deum potuisse determinari seu cogi ad faciendum ut verum foret contradictoria simul esse nequire, contendit autem potuisse illum statuere contrarium. Porro quamvis voluerit nonnullas veritates esse necessarias, minime tamen inde sequi, id illum necessario voluisse. Esse quidem contradictiones quasdam, quas omnino impossibiles judicemus, exempli gratia, potuisse Deum facere, ut creaturæ essent ab ipso independentes; nobis autem ad illas non advertendum, si potentiæ ejus immensitatem cognoscere velimus. Postremo inter intellectum ejus et voluntatem nullam prioritatem ponendam esse.

7. Denique in epistola 29 junii 1648 ad Arnaldum (3) his fere utitur verbis : «Quum omnis ratio veri et boni

(1) § 13, edit. Garnier, vol. II, p. 366.

(2) Edit. Garnier, vol. IV, p. 144 (edit. in-12, vol. II, ep. 46).

(3) Edit. Garnier, vol. IV, p. 202 (edit. in-12, vol. III, ep. 6).

ab ejus omnipotentia dependeat, ne dicere quidem ausim Deum facere non posse ut mons sit sine valle, vel ut unum et duo non sint tria; sed tantum dico talia implicare contradictionem in meo conceptu, qualem illum mihi Deus indidit. »

Si igitur animadverteris Cartesium doctrinam illam fortissimis verbis per totum philosophicæ vitæ cursum professum fuisse (quum ille *De Methodo* dissertationem anno 1637 ediderit, et anno 1650 obierit); si reputaveris illum, ut geometram, ad ea quæ mathesin spectarent præcipue attendere debuisse; si laudatos de veritatibus æternis locos cum quibusdam aliis Cartesianæ philosophiæ partibus composueris (quales sunt doctrinæ illæ de quodam deceptore Deo, de pendente a cognitione Dei certitudine, de impenetrabilibus Dei finibus et de pertinente ad voluntatem judicio); si denique respexeris quam accurate Cartesius seriem et nexum sententiarum affectaverit (1), et quam arcto vinculo ceteræ Cartesiani systematis partes reipsa inter se conjunctæ sint : profecto tibi succurret doctrinam de veritatibus æternis libere a Deo creatis Cartesio magni momenti fuisse; proinde operæ esse pretium indagare tum quænam sit ratio intestinaque significatio doctrinæ illius, si sola in se spectetur, tum quænam sit ejus relatio ad ceteras Cartesianæ philosophiæ partes (2).

(1) *Medit.*, *Ep. ad Sacr. Fac. Par.* et *Præf. ad lect.*

(2) Doctrinam illam optime illustravit sagacissimus vir *Secrétan* in prima suæ *Philosophie de la liberté* editione, VI[ta] lect. Laudat ille philosophus Cartesium, quod e Medii Ævi disciplina, quippe quod ad perscrutandam Dei naturam præcipue conversum fuisset, sublimem illam Dei notionem deprompserit, eamdemque pro fine regressivæ philosophiæ et

fundamento progressivæ statuerit. Scilicet eo pacto, inquit ille, « le cartésianisme est le programme immuable de la philosophie, programme complet, programme immense, qui n'est pas encore entièrement réalisé. » (*Philosophie de la liberté,* Ima edit., vol. I, p. 104.) Hac etiam doctrina, addit Secrétan, Cartesius pantheismum superaverat, in quem discipuli ejus, propter neglectam illam Cartesianæ philosophiæ partem, relapsi sunt. Postquam autem ita commendavit Secrétan illam Dei notionem quæ Cartesio tanquam philosophiæ caput sit, eidem vitio vertit, quod illam ab idea substantiæ vel existentiæ *per se* (quippe quæ sola menti in promptu sit) non *deduxerit.* Qua de re nobis liceat Cartesii defensionem suscipere.

PARS PRIOR

DE PROPOSITA DOCTRINA, SOLA IN SE SPECTATA

§ I

DE PERFECTI ENTIS, SIVE DEI, IDEA.

Innata nobis est summæ perfectionis idea, atque eadem est perfectio quam vocamus Deum.

Secundum cartesianam philosophiam sunt humanæ menti quædam ideæ ita innatæ, non ut statim aperte et in actu existant, sed ut mens facultatem habeat illas producendi et propriæ reflexionis ope evolvendi (1).

Inter illas menti humanæ quasi intextas ideas atque etiam præ ceteris omnibus notanda est idea perfecti entis, quam quidem, ut non statim clare et distincte nobis innotescere constat, ita haud dubium est, quin aut propria industria e nobis eruere valeamus, aut, ab altero propositam, proprio motu, tanquam cum tacito instinctu congruentem, accipere amplectique.

(1 Resp. ad III^{as} obj., § 55. — *Ren. Desc. Notæ in programma*, etc., edit. Garnier, vol. IV, p. 65. — Ep. ad R. P. Mers, edit. Garnier, vol. IV, p. 297 (edit. in-12, vol. IV, ep. 21).

Quod ad præsentem mentis meæ formam attinet, manifestum est ideam perfecti entis, tanquam positivam, judiciis meis implicari : quum nonnullos essentiæ meæ modos, qualis est dubitatio, propter defectum qui in illis cernitur, pro notis imperfectionis habeam (1). Nec satis est ideam entis me ipso perfectioris a me concipi. Imperfectum enim mihi apparet quidquid non infinite perfectum est. Scilicet a perfecto, tanquam ab absoluto archetypo, desumo regulam illam, quam imperfectis rebus, quæ gradus admittunt, applicare soleo.

Porro non fieri potest ut entis perfecti idea ad quamlibet aliam reducatur, quia inter omnes plurimum objectivæ realitatis illa continet, nullaque est alia tam excellens natura quæ non a perfecto ente infinite superetur.

Videbitur quidem, si logice rem consideres, ideam perfecti entis ad simpliciorem quamdam reduci et debere et posse. Etenim reperire est, exempli gratia, ideam indeterminati entis, quæ perfecti idea generalior sit. Proinde quid prohibet quominus ab ente indeterminato perfectum deducatur, sicut ceteræ species a suis generibus deducuntur?

Imo logica ista methodo perfecti entis rationem non redderes, quin illud ipsum veluti solveretur et vanesceret. Manifestum enim est e conceptu entis indeterminati rationem elici non posse, cur ens illud per modum perfecti potius quam imperfecti terminetur : quippe, quod ad ens nudum attinet, indifferens illud est inter perfectum et imperfectum. Ita autem

(1) *Meth.*, IV, § 4.

modus ille, quem nos perfectum vocamus, non revera perfectus esset, siquidem entis indeterminati respectu, quod sic unum pro ultima rerum mensura haberetur, imperfecto ille nihil præstaret.

Quod si perfecti entis idea in simpliciorem alteram non resolvenda est, nonne tamen expediat, quando præsens illius forma longæ reflexionis fructus est, illius fontem historice repetere, ut ideam reipsa innatam et primitivam consideremus?

Haud dubium est quin plurimi intersit antiquiores idearum formas, præsertim quod ad sublimem illam perfecti entis ideam pertinet, investigare, saltem si mentis humanæ historiam cognoscere velimus. Philosopho autem satis est ideam quamdam præsenti tempore in humana mente revera existere, ut ipsi liceat illam, tanquam a rerum natura datam, excipere et introspicere. Ceterum constat ideam perfecti entis non posse ad aliam quamlibet tempore priorem reduci, nisi quis antecedentia a causis non discernat. Plus enim realitatis exhibet idea illa, quam reliquæ omnes. Neque ratio ulla est, cur alia facta pluris faciamus quam hoc ipsum, quod in præsenti perfecti entis repræsentatione consistit.

Perfectio autem illa, ut non qualem nos comprehendere possumus, ita tanquam in se spectata et absoluta, id ipsum est quod vocamus Deum.

Potest quidem Deus multimodis finiri describique. Infinitum ens illum dicas, æternum, immutabile, omniscium, omnipotens, dubitatione tristitiaque immune (1), vel etiam substantiam infinitam et inde-

(1) *Meth.*, IV, § 4.

pendentem (1), omnis bonitatis veritatisque fontem, rerum omnium creatorem (2), immensum lumen et pulcherrimum (3), ens summe bonum et minime fallax (4), quippe in quo omnes thesauri scientiarum et sapientiæ sint absconditi (5). De illo autem quam concipimus ideam, non solum simplicissime, sed etiam omni ex parte exprimes, si illum *ens* esse *perfectissimum* dixeris, id est quod infinito gradu omnes perfectiones possideat (6). Neque nobis licet, ut menti nostræ propior fiat Dei conceptus, in illum solas eas perfectiones admittere quarum nos claram ideam habemus : quum illi contra competant omnes possibiles perfectiones, nec minus morales illæ quibus bonus et amari dignus efficitur (7), quam intellectuales, quarum ope lumen est cogitantis animi ; et generatim non solum omnes perfectiones, quas novimus, sed etiam omnes eæ, quarum ne ideam quidem nos habemus.

(1) *Meth.*, III, § 15.

(2) *Princ.*, I, 22.

(3) *Med.*, III, § 15.

(4) *Princ.*, IV, 206. — Ep. ad Eliz., edit. Garnier, vol. III, p. 193 (edit. in-12, vol. I, ep. 7).

(5) *Med.*, IV, § 1.

(6) *Meth.*, IV, § 4; *Med.*, III, § 23, 25; *Princ.*, I, 14, 16, 18, 19. — Ep. ad Eliz., edit. Garnier, vol. III, p. 203 (edit. in-12, vol. I, ep. 7). — Resp. ad Imas obj., § 5; Resp. ad Inst., § 11.

(7) *Princ.*, IV, 206; ep. ad Eliz., edit. Garnier, vol. III, p. 192, 193 edit. in-12, vol. I, ep. 7); *Med.*, IV, § 2, 4).

§ II

DE PERFECTA POTENTIA ET ACTUALI PERFECTIONE.

Perfectio autem, qualem eam mente concipimus, tum potentiam infinitam sive inter contraria indifferentem, tum essentiam actu excellentem involvit.

Deus nobis idem est atque summa perfectio. Quare perfecti entis notionem evolvendo Dei ipsius naturam, quantum in nobis est, optime introspicere poterimus (1).

Quidquid autem in perfectione continetur ad duas partes præcipuas reduci potest.

Unum quidem est perfectionis elementum infinita potentia, omnis dependentiæ expers, id est inter contraria absolute indifferens.

Scilicet Deo primum externam inesse libertatem oportet, quæ quidem in eo consistit, ut nulli a se ipso discretæ rei vel aliquantulum subjectus sit (2). Repugnat enim posse supra Deum stare fatum quodlibet, quo se ille inferiorem fateatur.

Deinde oportet Deum ne in semetipso quidem essentiam eam offendere, quæ tanquam fatum intestinum ipsius agendi modum necessario determinet; proinde ipsius potentiam non relative tantum, sed etiam abso-

(1) Ep. ad D***, edit. Garnier, vol. IV, p. 326 (edit. in-12, vol. VI, ep. 63).

(2) VI[tæ] Resp., § 11, 13; ep. ad P. Mers., edit. Garnier, vol. IV, p. 303 (ed. in-12, vol. IV, ep. 71).

2

lute indifferentem esse (1) ; atque ita existere illum *per se*, idque non modo negative, id est absque omni extra ipsum posita causa, sed etiam positive, propter propriæ potestatis exsuperantiam (2). Oportet illum, ut ita dicam, sui *causam efficientem*, id est suæ ipsius existentiæ causam esse, quantum causa ea efficiens dici potest, quæ nec effectu tempore prior, neque etiam ab illo diversa sit (3).

Deo igitur inesse debet omnino indeterminata non externa tantum, sed etiam interna libertas.

Alterum autem est perfectionis elementum essentia omnes possibiles perfectiones complexa, idque non potentia solum, sed formaliter et actu (4). Scilicet nihil in Deo indeterminatum vel nondum omnibus numeris absolutum fingi potest. Imo quidquid ad perfectionem pertinet apud eum ab æterno et omnino principaliter reipsa existit. Proinde est ille, per se et necessario, *hoc*, non autem *illud;* atque exhibet contrariorum unum, id est perfectionem, quum alterum, id est imperfectio, ex illo penitus exclusum sit (5). Qua ex parte Deus quodammodo sui ipsius *formalis* est *causa*, quantum causa ea formalis dici potest, quæ in sese non possibilem modo, sed etiam necessariam contineat existentiam, quippe pro attributo quodam ac perfectione sumptam (6).

(1) VI[tæ] Resp., § 11.

(2) I[mæ] Resp., § 8, edit. Garnier, vol. II, p. 26.

(3) I[mæ] Resp., § 5, edit. Garnier, vol. II, p. 21. — IV[tæ] Resp., § 50 sq., edit. Garnier, vol. II, p. 158 sq.

(4) *Med.*, III, § 19. — IV[tæ] obj., § 53, 54.

(5) *Meth.*, IV, § 4.

(6) V[tæ] Resp., de V[ta] Med., 2, edit. Garnier, vol. II, p. 321.

§ III

DE UTRIUSQUE AD ALTERAM RELATIONE.

Duæ illæ naturæ inter se una ex parte cohærentes, ex altera autem contradictoriæ sunt.

E superioribus sequitur Dei natura contineri tum infinitam potentiam, quam etiam absolutam inter contraria indifferentiam, infinitam substantiam, ens infinitum, absolutam existentiam, puram voluntatem vocaverim; tum actualem perfectionem, id est essentiam omne bonum actu, excluso omni malo, exhibentem; quæ etiam, quatenus cogitationis objectum atque ipsa res cogitans est, cum absoluta ratione vel puro intellectu congruere videtur.

Quarum si mutuam relationem observaveris, primo reperies utramque cum altera quam arctissime cohærere.

Etenim æque sunt ambæ perfectione involutæ, ut nequeat una aboleri, quin, sublata eo ipso perfectione, altera simul corruat. Porroquum perfectio non nisi una esse possit (1), necesse est potentiam et essentiam in unum omnino coalescere.

Neque res ita se habet, ut alterutra ad alteram reduci possit. Perfectione enim utraque exuitur, simul atque altera, vel ratione, prior fingitur.

Quippe fac essentia potentiam priorem esse : nulla jam ratio superest, cur essentia quæ ab hac proficiscitur actu perfecta sit, quum nihil apud meram potentiam

(1) IIdæ Resp., § 15.

boni potius quam mali effectionem commendet. Quinimo in flatus vocis abeunt perfectio et imperfectio : nudæ enim potentiæ respectu, quæ nunc sola pro ente vere absoluto sumitur, omnia contraria plane æqualia sunt. Neque hic allegaveris perfectionem ad actionem, imperfectionem autem ad passionem reduci posse. Potentia enim nuda non minus indifferens est inter actionem et passionem, quam inter cetera contraria ; neque sit actio bonum, quæ ab hujusmodi causa proficiscatur.

Atque ipsi potentiæ imperfectionis nota præsenti assumptione inuritur. Nihil enim jam est, cur potentia in actum, tanquam in meliorem statum, unquam transeat : quod tamen ad potentiæ perfectionem pertinere fatendum est. Quippe non nisi e cognata rationali essentia mutuatur potentia hoc, in quo revera ejus perfectio consistit, internam scilicet et a semetipsa non diversam sese exserendi rationem, ut ab æterno actionem, tanquam meliorem, inertiæ anteponat. Quia demum Dei ratio sive essentia est perfecta, fit illius libertas realis, firma et efficax (1); quia perfectus est, existit (2).

Rursus essentiam potentia priorem non fingas, quin ex hac absolutam indifferentiam detrahas, quam tamen sibi vindicat, ut perfecta sit. Quinimo sic indifferentia, ac proinde liberum arbitrium, e conceptu Dei omnino tollitur. Etenim si essentia ipsa solaque pro ente vere absoluto sumatur, nihil jam perfectum est quod non idem et intelligibile ; gradus autem indifferentiæ vel minimus inter bonum et malum, tunc quum bo-

(1) *Med.*, IV, § 7.
(2) *Med.*, V.

num exacte intelligitur, plane inintelligibilis apparet.

Atque essentiam ipsam, his positis, imperfectio subit : quum absoluta libertas, quæ quidem superius omni momento arbitrium et absolutam inter contraria indifferentiam involvit, in perfectionum numerum procul dubio adscribenda sit.

In Deo igitur, quippe qui ens completum sit (1), potentia essentiaque, quas etiam voluntatem et intellectum concretis nominibus appellem, inter se arcto conjunctæ vinculo, una cum altera cohærentes apparent, ut neutra altera prior, vel ratione, sit (2). Deus æque inepte sui causa efficiens aut formalis, excluso amborum altero, haberetur : est autem ille sui ipsius causa secundum conceptum quemdam causæ efficienti et formali communem (3).

Atque ipsa illa potentiæ essentiæque mutua penetratio ipsis nominibus *voluntatis* et *intellectus* quodammodo exprimitur. Quorum sensus reipsa meram potentiam essentiamve excedit. Quippe non nisi quantum essentiæ sive intellectus fit particeps, voluntatis nomine potentia digna est ; quantum autem essentia potentiam admittit, sive voluntate et actione movetur, in intellectum proprie dictum transit, qui res non tantum ut possibiles, sed etiam ut reales apprehendit.

(1) *Med.*, IV, § 1.

(2) Ep. ad. qd. R. P. Jes., edit. Garnier, vol. IV, p. 148 (edit. in-12, vol. II, ep. 46). — Vir gravissimæ auctoritatis F. Bouillier, in egregia illa *Histoire de la philosophie cartésienne* (III^tia edit., v. I, p. 98, sq.), censet Cartesium, nec apud hominem, neque apud Deum, libertatem ab intellectu separavisse, illamque opinionem, et propriis hac de re Cartesii verbis, et ejusdem doctrina de rebus mundi quam optime dispositis, confirmat.

(3) IVtæ Resp., § 50, edit. Garnier, vol. II, p. 58.

Quæ si ita sint, nonne infinita potentia et actualis perfectio vel absoluta existentia et absoluta essentia diversis nominibus unum, ad summam, idemque sunt?

Imo illas inter se si contuleris, tibi non diversæ tantum, sed etiam invicem contradictoriæ apparebunt.

Etenim ad infinitam potentiam pertinet absoluta indeterminatio, ad actualem autem perfectionem determinatio absoluta. Perfecta quidem esse non potest potentia, nisi si omnem possibilem actum exsuperet. Actus autem est perfectio totam potentiam terminare, et in actu certo, ut ita dicam, defigere, ne quid apud potentiam remaneat, cujus ope illa ad actus contrarios se ferre possit.

Quare infinitæ potentiæ si actualiter perfecta essentia inseratur, corrumpit eam et ad nihilum redigit, ut quæ ei certas determinationes necessario imponat, atque eo ipso suam ei infinitatem et indifferentiam auferat. Scilicet hoc pacto fieret divina potentia comprehensibilis, quod admitti nequit.

Rursus actuali perfectioni si infinita potentia inseratur, corruit illa et aboletur, quum desinat plane intelligibilis esse, quumque ejus existentia naturaque contingentes fiant et mutabiles. Ex hypothesi, exempli gratia, sequeretur Deo facultatem tribuendam esse vel auferendi a se suam existentiam, quod profecto repugnat (1).

Denique apud Deum sunt infinita potentia actualisque perfectio et inter se arctissime cohærentes et contradictoriæ. Qui autem hoc fieri potest?

(1) Ep. ad clarissim. vir. D***, edit. Garnier, vol. IV, p. 309 (edit. in-12, vol. IV, ep. 84).

§ IV

DE RELATIVA ET ABSOLUTA CONTRADICTIONE.

Duo sunt contradictionis genera, relativum scilicet et absolutum, quorum Dei conceptus hoc excludit, illud admittit.

Minime quidem verisimile est ad Dei conceptum principium contradictionis nequaquam pertinere. Etenim si ex hoc, quod illius conceptui nonnulla inter se contradictoria inesse deprehenderis, quælibet inter se contradictoria in illo conjungi posse putes, jam simul asserere queas apud illum existentiam essentiamque tum reperiri, tum non reperiri ; perfectum ens illum tum esse, tum non esse; illum denique tum existere, tum non existere. Verum enimvero adeo non Deus sic inter *esse* et *non esse* pendet, ut contra ens reale perfectumque certo sit, neu liceat imperfectum quidquam aut quod nihili vel tantulum sit particeps, tanquam illius naturæ insitum, mente concipere. Sic, exempli gratia, mundus ille, qui nihili est particeps, neque Dei pars est, neque ab illo necessario est creatus. Deus est a mundo substantialiter diversus (1), etsi hic ab illo pendet ; nec quidquam est in natura Dei, quod mundi existentiam necessario involvat (2).

Num autem una eademque est omnium contradictoriorum ratio, ut, quam Dei relationem ad nonnullas

(1) *Meth.*, IV, § 4.
(2) VItæ Resp., § 11. — IIdæ Resp., § 24.

contradictiones deprehenderimus, eadem sit nobis admittenda, quotiescumque Dei conceptus in contradictiones incidat? Imo contra nonne videntur contradictiones quædam *magis evidentes* et *impossibiles* quam aliæ esse? Nonne, exempli gratia, magis repugnat potuisse Deum facere, ut creaturæ essent ab ipso independentes, quam potuisse eum res creatas alio ordine disponere (1)?

Contradictio quidem nulla est nisi unius cum altero, principii vicem agente, termino. Cujus termini objectiva perfectio, ut nullius est momenti si res *logice* spectentur, ita digna est quæ respiciatur, si de *reali* rerum extra intellectum positarum relatione sit quæstio. Haud mirum sane nobis videtur, si eadem mens humana apud diversos homines opiniones inter se contradictorias producat. Etenim cujuslibet hominis opinioni non tanta inest veritas perfectioque, ut opinioni contrariæ jus sese aperiendi et cum illa simul existendi non concedatur. Quamdiu quidem de rebus imperfectis agitur, non est cur a contrario contrarium omnino excludatur, quum huic haud secus quam illi gradus quidam perfectionis inesse possit unde, ad summam, perfectio efficiatur major. Sin autem de absoluta perfectione agatur, jam concipi nequaquam potest illud quod cum ea contradictorium sit apud eam existere.

Est igitur genus contradictionis duplex : una quidem est quæ inter res imperfectas, solas in se spectatas, altera autem quæ perfectionem inter et ejus contrarium reperitur. Quarum prior reipsa *relativa* tantum

(1) Ep. ad qd. R. P. Jes., edit. Garnier, vol. IV, p. 147 (edit. in-12, vol. II, ep. 46).

est, quandoquidem non ostendit utrum rerum ipsarum relationi ad perfectionem contradictio æque competat necne, satisque est ope medii cujuslibet termini res conciliari posse, ut absoluta ex illarum relatione detrahatur contradictio. Posterior autem *absoluta* est, quum supra perfectum ens nulla sit natura, apud quam illud cum ipsius contrario conciliari possit.

Nunc quum nobis ingenitam Dei notionem evolvimus, ut quidquid in ea implicite continebatur singillatim perspiciamus (1), manifestum est nobis pro regula sumendam esse mutuam *absolute* contradictoriorum exclusionem, id est rejectionem uniuscujusque naturæ, quæ cum summæ perfectionis natura pugnet. Altera autem ex parte terminos illos, quos e perfecti entis idea eruimus, inter se dissociabiles esse deprehendimus. Quod nobis forsan non tam mirabile videbitur, si cogitaverimus fieri non posse ut ens quod natura simplicissimum est in partes inter se diversas solvamus, quin ei, vel inviti, quamdam ad creaturas pertinentem naturam indamus, atque id quodammodo adulteremus. Nonne ipsa nomina « Voluntatis » et « Intellectus », e nostri ipsorum observatione deprompta, creatam naturam necessario redolent (2)?

Quidquid id est, quum inter se contradictoria voluntas divina intellectusque appareant (demptis scilicet ab utroque illis quæ ei ab altero adduntur, redactaque sic amborum natura ad id quod illorum est pars intima, id est ad infinitam potentiam et actu per-

(1) IIdæ Resp., § 15.

(2) VItæ Resp., § 6, edit. Garnier, vol. II, p. 364 : « Nulla essentia potest univoce Deo et creaturæ convenire. » — IIdæ Resp., § 15.

fectam essentiam), satis quidem probabiliter affirmaverimus Deum, ut pertinenti ad absolute contradictoria principio quasi subditum (id est omnis nihili et imperfectionis immunem, expertemque facultatis entia creandi vel admittendi quæ non ipsi quodammodo consentanea sint), ita positum esse supra pertinens ad relative contradictoria principium; ut ipsi liberum sit vel contrarias inter se res efficere vel cohærentes, majoremve aut minorem mutuæ rerum contradictionis gradum in creatum mundum admittere, vel hunc ita disponere, ut nullum in eo sit principium, ad quod unum omnia reduci possint (1).

§ V

DE ESSENTIARUM ET EXISTENTIARUM CONTINGENTIA.

Unde contingentes sunt, Dei quidem respectu, quum metaphysicæ veritates, sive essentiæ, tum res, sive existentiæ.

Quæ si ita se habent, veritates quidem illæ, quæ ad Deum ipsum, sive ad ens summe perfectum, pertinent, nequaquam aliæ esse possunt atque sunt. Nempe si quis assereret posse Deum imbecillum, malitiosum fallacemve esse (2), vel a se existentiam suam auferre (3), is profecto nihil aliud quam illum

(1) Ep. ad Dom. Clerselier, edit. Garnier, vol. IV, p. 157 (edit. in-12, vol. II, ep. 49).

(2) *Med.*, IV, § 2.

(3) Ep. ad ***, edit. Garnier, vol. IV, p. 309 (edit. in-12, vol. IV, ep. 84).

non esse posse, id est, ad summam, non esse contenderet.

Summe autem perfecti entis idea conceptum minus perfectarum rerum, ab ipso dumtaxat creatarum, non excludit (1). De quarum quidem creatione negandum est quidquid cum divina perfectione pugnat, non autem, si illarum inter se relationes consideres, eadem necessario affirmanda congruentia, quæ relationi perfecti entis ad se ipsum competit.

Jam res creatæ in duo genera distribui possunt (2): unum est *essentiarum*, vel metaphysicarum, mathematicarum et moralium veritatum (3); alterum *existentiarum*, id est singularum rerum quæ extra intellectum positæ sunt (4).

1. Profecto essentiæ inter creaturas annumerandæ sunt. Quum enim cognitionem nostram non exsuperent, minores sunt ipso Deo, cujus natura nobis incomprehensibilis est (5).

Porro divina quidem creatoris perfectio nequaquam vetat quin essentiarum inter se relationes contradictionis principio regantur. Quum autem Dei ipsius conceptus nobis in duas inter se contradictorias naturas resolvatur, non nisi tanquam possibilium unum, saltem Dei respectu, illud sibi logice consentaneum essentiarum systema apparet : neque est veritas illa

(1) IIdæ Resp., § 24, 25.

(2) *Med.*, 1, § 5-7. — *Princ.*, I, 48.

(3) Ep. ad P. Mers., edit. Garnier, vol. IV, p. 123 (edit. in-12, vol. II, ep. 41), — Vtæ Resp., § 11, 13, 53.

(4) *Med.*, Præf., § 4. — Imæ Resp., § 3.

(5) Ep. ad P. Mers., edit. Garnier, vol. IV, p. 135 (edit. in-12, vol. II, ep. 43).

radicitus contingentis facti cum necessaria divinæ existentiæ veritate permiscenda.

Certe nobis licet ex idea divinarum perfectionum, secundum intellectus nostri leges (id est secundum relativæ contradictionis principium), has aut illas generales veritates per analysim deducere (qualia sunt, ex. gr., mathematica principia, scilicet motus quantitatis conservatio, vel materiæ unitas, vel ejus in infinitum divisibilitas) : quas si ejusdem principii ope deinceps composuerimus et inter se contexuerimus, naturalium legum systema cognoscemus (1). Possibilia quidem illa per se dici poterunt, quatenus cum idea perfecti non pugnabunt. Quoniam autem Deo submissum est relativæ contradictionis principium, nondum erunt illa vera, donec nobis aliunde notum erit Deum ea sic disponere voluisse.

Præterea non possint æternæ veritates pro absolute necessariis haberi, quin in ipsam Dei essentiam, tanquam ad eam pertinentes, ipsæ introducantur. Nihil enim absolute necessarium existere potest præter ipsum Deum. Quum autem, propter absolutam Dei unitatem nulla pars essentiæ ejus exacte comprehendi possit, quin tota illa comprehendatur ; ex hypothesi sequitur hominem, quippe qui quasdam matheseos partes exacte comprehendat, Deum ipsum comprehendere, ac, quod inde separari nequit, ipsum Deum esse. Quod falsum falsam declarat assumptionem.

Denique mathematicæ aliæque ejusdem generis veritates, utpote secundum *relativæ* contradictionis principium dispositæ, non nisi intellectus hujus objecta esse

(1) *Meth.*, V, § 2.

possunt, qui cum memoria junctus sit, resque per discursum, durationis ope, cognoscat. Non est autem qui hujusmodi intellectus sibi ipse certitudinem comparet, quippe qui memoriæ semper diffidere possit (1). Proinde ille Deo indignus est. Ergo pro Dei creaturis ac solius creaturarum intellectus objectis logicæ veritates, quales eas novimus, habendæ sunt.

Denique systema illud æternarum veritatum ex partibus constat quæ inter se tam arcte dependent, nexæ sunt atque devinctæ, ut actioni liberæ ne minimum quidem locum relinquant. Quare Dei libertatem atque perfectionem negaret, si quis veritates illas ei inesse, tanquam subjecto, admitteret.

Fatendum igitur est essentias a Deo libere creatas vel dispositas esse, qui quidem, ut illas non nisi secundum perfectionem suam efficere potuit, ita nihil coactus fuit relativæ contradictionis legi submittere.

Quod autem, Dei respectu, contingentes sint essentiæ, ex eo non sequitur eamdem esse illarum rationem, quod ad humanum attinet intellectum. Imo hominis respectu sunt illæ revera necessariæ, ut quæ in necessaria illa relatione, ad summam, consistant, quæ tum e divina perfectione nobis pro cognitionis objecto oblata, tum ex intellectus nostri natura, quippe relativæ contradictionis principio ab ipso Deo subditi, exoritur. Quod quidem necessitatis genus, in quo matheseos veritas consistit, absque Deo concipi nequit (2). Nostra enim ipsorum natura, quum perfectione illa inferior sit cujus ideam ipsa concipit, manifesto contingens est, pro-

(1) IIdæ Resp., § 22.

(2) IIdæ Resp., § 23. — Vtæ Resp., § 57.

priaque contingentia scientiam illam contaminaret, quæ solis ejus legibus fulciretur.

Eadem est duplex bonorum ratio quæ nostra voluntas sequitur.

Unum quidem pro certo haberi debet, id est bona illa, quatenus a Deo proficiscuntur, non specie, sed re tali nomine digna esse. Deus enim non mera potentia est : essentiam quoque involvit in actuali perfectione consistentem, quæ, quum ad potentiam reduci non debeat, pro irrationali et casum admittente (quod revera cum boni natura pugnaret) haberi nequit. Scilicet Deus penitus bonus est, neque ullæ sunt ejus naturæ tam altæ radices, quæ non bonitate jam imbuantur. Idcirco voluntas ejus, quæ una cum essentia est, non nisi bona efficit (1).

Non ideo tamen existimandum relativa illa creataque bona, quæ Deus tanquam fines imperfectis entibus proponit, sola illius respectu fuisse, quæ creari possent. Quippe summa cum perfectione non pugnat, potuisse eum alia bona creare atque ea quorum ideam habemus, ea autem non creare quæ mente concipimus. Quemadmodum enim bonus est Deus, ita potestas ejus infinita est ; proinde quemadmodum constat bonos ejus fines esse, ita haud dubium est quin iidem finito nostro intellectui impenetrabiles remanere debeant (2). Quanquam admitti profecto nequit Deo liberum esse boni malique rationem funditus evertere eademque omnino permiscere : quod quidem absoluta contradictio esset a

(1) *Med.*, IV, § 4. — VI[tæ] Resp., § 11. — Ep. ad Eliz., edit. Garnier, vol. III, p. 212 (edit. in-12, vol. I, ep. 10). — Ep. ad D***, edit. Garnier, vol. IV, p. 125 (edit. in-12, vol. II, ep. 41).

(2) *Med.*, IV, § 5. — *Princ.*, I, 28.

divina perfectione prorsus aliena. Sed nihil obstat quin Deus, pro sua optima voluntate, hæc potius quam illa bona efficere potuerit, quantum de relativa contradictione, id est, ad summam, de gradus et generis differentia, tantum agitur(1).

Quod autem, Dei respectu, contingentia sint bona, ex eo non sequitur eamdem esse eorum rationem, quod ad creaturas attinet. Sunt enim quæ concipimus bona necessariæ illæ relationes, quæ tum e Dei perfectione, tum ex ipsa natura nostra (qualem eam Deus constituit) exoriuntur. Atque illa bonorum finitorum ad Deum ipsum relatione efficitur esse ea vere bona, nedum pro utilibus tantum vel jucundis rebus habenda sint.

Illæ igitur veritates atque bona, quorum systema mutuæ relative contradictoriorum exclusioni subjectum est ac proinde humani intellectus viribus accommodatur, inferiora sunt incomprehensibili scientia et bonitate, apud quam relative contradictoria inter se concinunt. Nihilominus eadem nobis necessaria sunt, quatenus ex relationibus constant, Deum inter et nostram ipsorum naturam existentibus.

2. Atque ut essentiæ, ita existentiæ Dei creaturæ sunt. Etenim sunt eæ imperfectæ; non potest autem imperfectum quodlibet a perfecto ente non dependere.

Duplex autem est rerum creationis concipiendæ ratio. Scilicet illas a Deo, aut essentiis mediorum vicem agentibus, aut immediate procedere admiseris. Si quidem in eo tantum existentiæ consistant, quod essen-

(1) Ep. ad qd. R. P. Jesuit., edit. Garnier, vol. IV, p. 143 (edit. in-12, vol. II, ep. 46). — *Med.*, IV, § 15.

tias ipsas absque ulla modificatione extra intellectum ponant, jam illis impertitur ipsa essentiarum sive contingentia, sive necessitas; jamque mutua ea partium dependentia, quæ ex adhibito relativæ contradictionis principio sequitur, in illis haud secus quam in ipsarum archetypis reperitur. Sin autem a Deo immediate creatæ sint, non statim affirmaveris eamdem earum esse dispositionem atque essentiarum, quando diversitas atque ipsa creaturarum inter se contradictio cum creatoris perfectione non pugnat.

Res autem existentes pro mera essentiarum dependentia haberi non possunt. Inest enim illis natura quædam supposita quæ apud essentias non reperitur, scilicet temporis duratio. Hæc est rerum existentiæ et conservationis conditio. Temporis autem partes a se mutuo non pendent, nec unquam simul existunt (1). Quidquid durat, potest unoquoque temporis momento esse desinere (2). Concipi enim nequit, qui existentia, quæ jam non est, sequentem existentiam suscitare et alere possit (3). Creatæ igitur substantiæ nequaquam aliæ aliis opem ferunt ad existendum subsistendumque (4). Rursus illarum quælibet aboleri possit absque ulla ad reliquas, quod ad existentiam spectat, redundante consequentia.

Jam aliter se essentiæ habent. Quum enim extra temporis durationem positæ sint atque inter se arctissime dependeant, non possis earum quamlibet unam

(1) *Princ.*, I, 21.

(2) Vtæ Resp., § 35.

(3) Ep. ad Hyperaspistem, edit. Garnier, vol. IV, p. 270 (edit. in-12, vol. III, ep. 16).

(4) *Ibid.*, edit. Garnier, vol. IV, p. 271.

mutare, quin ceteræ congruenter mutentur, neque unam abolere, quin ceteræ aboleantur.

Porro valet per se intellectus, pro veraci dumtaxat habitus, si consequentias rite deducat, eam de essentiis sibi comparare cognitionem, quæ in suspicionem falsitatis non incurrat (1). Quod non idem de rebus existentibus dici potest, quippe quarum cognitio semper aliquid dubii incertique retineat (2).

Denique finitæ essentiæ non necessariam existentiam (3), sed possibilem tantum involvunt (4); neque unquam finitarum rerum actualem existentiam novissemus, si nobis nulla alia cognoscendi facultas atque intellectus (quatenus ejus proprium est essentias in se percipere) relinqueretur. Scilicet non nisi intercurrentibus aliis mentis humanæ facultatibus, id est sensibus, phantasia et ipsa voluntate, simulque naturali quodam instinctu nobis harmoniam ab ipso Deo inter varias mentis potestates constitutam retegente, externas existere res jam credimus, relationemque statuimus inter idearum nostrarum objecta (5) atque res exter-

(1) *Med.*, I, § 57.

(2) *Ibid.*

(3) *Med.*, V, § 3, 5, 9.

(4) *Princ.*, I, 15. — II[dæ] Resp., Axiom. 10, edit. Garnier, vol. II, p. 81.

(5) « Objecti » nomen non nisi Cartesiano sensu usurpabimus. Scilicet hoc est intelligibilis essentia quæ a meo intellectu percipitur, quæ autem a re extra intellectum meum posita diversa est (I[mæ] Resp., § 3. — II[dæ] Resp., § 59). Post Cartesium, verbi illius significatio particeps facta est vicissitudinum quas ipsa quæstio de existente res inter et intellectum relatione experta est. Kantius quidem « objectum », Cartesii instar, intelligibilium essentiarum systema vocat. Quum autem ille nobis omni de rebus ipsis investigatione interdicat, postremo objectivam realitatem, quod ad cognitionem theoreticam spectat, cum effectiva quasi confundit. Contra quando

nas, sive inter ens repræsentatum atque ens actu extra intellectum positum (1).

Ergo existentia essentiis finitis non propter ipsarum naturam competit, sed illis superadditur separata immediataque Dei creantis actione. Neque ab ipsa ad essentias pertinenti æternitate pendet existentiarum conservatio : quod certe eveniret, si ideo tantum existentiæ positæ essent, quod essentiæ in se existentiam continerent, ipsæque *suum esse* forent (2). Existentiarum conservatio non minus independens est ab essentiarum natura quam ipsa creatio; atque revera pro continua creatione habenda est (3).

Quanquam inde non colligendum est nullam esse essentias inter et existentias relationem. Quinimo hæ ex illarum mixtione, tanquam colorum, efficiuntur (4). Hæ sunt compositæ res, quæ ex illis, tanquam e simplicibus elementis, constant. Quum autem complexionis

de practicarum idearum objectivitate loquitur, jam res in se positas, non autem intellectuales repræsentationes vult significare. Apud eum igitur, quod ad speculativam attinet philosophiam, unum et idem atque apud Cartesium quodammodo objectum est; quod autem ad practicam, rei ipsius atque etiam absoluti entis significationem hoc verbum obtinet. Porro Kantii discipuli, quod cognosci omnino nequeat, id nec existere rati, Kantianas res in se positas sustulere, atque ita res (effectivas) ad (cogitata) objecta omnino reduxere. Rursus Thomas Reid, quum nullas esse res inter et mentem species intelligibiles admitteret (sicut olim Cartesius sensibiles species res inter et intellectum positas sustulerat) objecta ad res reduxit : ita ut Kantianis Scotisque objecta et res in unum coeant, ratione autem contraria.

(1) *Med.*, VI, § 8, 9.

(2) Vtæ Resp., § 56.

(3) *Med.*, III, § 20. — *Princ.*, I, 21. — Vtæ Resp., § 35. — Resp. ad Hyperasp., edit. Garnier, vol. IV, p. 258 (edit. in-12, vol. III, ep. 16).

(4) *Med.*, I, § 6.

modus, in quo existentia proprie consistit, non eadem ratione ad essentiarum naturam pertineat atque trianguli proprietates ad ipsius definitionem, sed a Deo immediate creetur et conservetur; quumque existentiæ aliæ ab aliis non pendeant : jam rerum existentium cognitio essentiarum cognitione non involvitur, semperque incerti aliquid retinet (1), quod tum ex indifferentia ad creatoris libertatem pertinente, tum ex ejus finibus logicas essentias exsuperantibus et finito intellectui impenetrabilibus, exoritur. Scilicet temere affirmares mutuam illam relative contradictoriorum exclusionem, quæ ad essentiarum systema pertinet, non autem Dei respectu necessaria est, etiam in existentiarum, sive mixtarum inter se essentiarum ordine, reperiri debere.

§ VI

SUMMA.

Denique Deo liberum est (perfectione ejus tum causæ, tum finis agente vicem) relative contradictoria vel se jungere, vel conjungere.

Ita Deus ens summe perfectum est, nec ei quidquam cum hac perfectione contradictorium inesse potest.

Perfectio autem illa, quando tum infinitam potentiam, tum actualem excellentiam, id est tum indifferentiam ad contraria, tum unum, excluso altero, po-

(1) *Med.*, I, § 7.

situm contrarium involvit, idque ita ut neutra natura altera, vel ratione, prior sit, nobis jam hinc tanquam absolute una, illinc tanquam duplex apparet. Scilicet omnem illa absolutam, id est cum se ipsa, contradictionem excludit ; illi autem lex ea, qua entia relative, sive inter se, contradictoria se invicem tollunt, subjacet.

Unde sequitur una ex parte radicitus bonam esse Dei voluntatem, nec nisi bona creare posse ; altera autem Deo liberum esse, propter immensam potestatem impenetrabilesque fines, relative contradictoria vel sejungere, vel conjungere.

Quæ quidem ille reipsa in essentiarum vel æternarum veritatum dispositione sejunxit, quæ ipsum inter et nostrum intellectum, res definire ac separare natum, medii vice funguntur. Fortasse autem ea plus minusve simul esse jussit apud existentias, quæ immediata continuaque creatoris actione, essentias inter se miscentis, efficiuntur.

PARS POSTERIOR

PROPOSITÆ DOCTRINÆ RELATIO AD RELIQUAS CARTESIANÆ PHILOSOPHIÆ PARTES

Existimabat Cartesius « Dei existentiam esse veritatum omnium possibilium primam, et maxime æternam, et solam unde reliquæ omnes procedant » (1). Adde quod seriem nexumque metaphysicarum veritatum non minus aut etiam plus quam mathematicarum persequebatur (2). Satis igitur probabile est quamdam esse relationem inter ideam quam de Deo habebat et reliquas illius philosophiæ partes.

§ I

DE METHODICA DUBITATIONE.

Primus est methodicæ fons dubitationis idea perfectæ voluntatis, tanquam propter scientiam requisitæ.

Dignum est animadverti, aiebat Cartesius, frequenter ea quæ homines judicent ab iis quæ intelligant

(1) Ep. ad P. Mers., edit. Garnier, vol. IV, p. 134 (edit. in-12, vol. II, ep. 43).

(2) *Med., ep. ad Sacr. Fac.*, § 4.

dissentire (1). Nostra igitur judicia non a solo intellectu procedunt, sed alteram requirunt mentis facultatem, quam, si res propius inspexeris, ipsam voluntatem esse deprehendes (2). Ea autem est intellectus voluntatisque conditio, ut ille per se non alius esse possit atque est, hæc autem, propter liberum arbitrium, nihil fixi in se habeat. Quare si a meo intellectu tantum mea judicia penderent, profecto nihil esset, cur ea in dubium vocarem : quum ad dubitationem movendam diversorum de una re judiciorum comparatio requiratur. At sæpius experitur voluntas mea in se esse hoc vel illud, iisdem positis, affirmare ; constat autem illam ipsam semper cum intellectu concurrere ad judicium quodlibet plane conficiendum. Quæ quum ita sint, jam omnis judicii veritas a perfectione voluntatis manifesto pendet. Quid autem ? Sæpius fluctuat incerta voluntas ; sæpius etiam sibi ipsi non consentit : quæ certe cum ea perfectæ voluntatis idea non congruunt, quæ meæ menti insita est. Invadit igitur mentem de judiciis meis omnibus dubitatio, quæ mihi jam non nisi vagæ tantum et mutabiles opiniones esse videntur (3).

At saltem licet liberam illam voluntatem adhibere tum ad præjudicia e mente evellenda, tum ad fixum aliquid inconcussumque investigandum, quo ipsa voluntas niti possit.

Primo evellenda sunt judicia illa in quibus volun-

(1) Ep. ad Hyperasp., edit. Garnier, vol. IV, p. 259 (edit. in-12, vol. III, ep. 16).

(2) *Princ.*, I, 34.

(3) *Med.*, III, § 59.

tas intellectus captum excedit : quæ non nisi temeraria jam existimare possum. Quare de rerum existentia dubito, quippe quam per voluntatem potius quam per intellectum affirmem, quum illam ego non clare percipiam (1). De essentiis etiam atque æternis veritatibus mihi dubitandum est, quum illarum nexus, postquam intuitionem memoria excepit, jam non clare et distincte mihi appareat, voluntasque eo pacto, in illarum affirmatione, longius quam intellectus progrediatur (2).

§ II

DE PRONUNTIATO HOC : « COGITO ERGO SUM. »

Pronuntiatum hoc : « Cogito ergo sum », quoniam in eo voluntas cum intellectu plane congruit, meo saltem respectu certum est.

Quid autem de eo judicio, in quo voluntas manifesto intellectum non transgrediatur? Equidem tale unum reperire possim, simplicius quam vel simplicissimum syllogismum. Quod nihil aliud est ac pronuntiatum hoc : « Cogito ergo sum », scilicet vel angustissimis contracta limitibus affirmatio, nec nisi ipsius intellectus mei existentiæ enuntiatio (3).

Profecto non potest illa propositio cum ceteris confundi, sed mihi saltem pro vera haberi debet. Quippe, quod ad illam attinet, certior sum non reperiri

(1) *Med.*, I, § 2 sq.
(2) *Med.*, V, § 7. — II[dæ] Resp., § 22.
(3) II[dæ] Resp., § 22. — *Princ.*, I, 7.

istam voluntatis extra intellectus limites evagationem. Necesse autem est ut intima illa mentis meæ facultatum inter se congruentia mihi pro certitudinis principio valeat.

§ III

DE EVIDENTIA.

Illius certitudinis fundamentum evidentia est. Num autem absolute vera sunt quæ ego pro veris habeo ?

Ea est propositionis hujus nota : « Cogito ergo sum », ut affirmatio intra intellectualis evidentiæ limites exacte contineatur, id est ut evidens sit. Proinde hinc jam evidentia pro certitudinis criterio utar.

Num tamen sic omnis dubitationis causa sublata est? Num hæc quæ meo respectu certa sunt pro absolute certis possunt haberi (1)?

Imo fac nullam esse intellectuali evidentia altiorem certitudinis causam : jam mihi nunquam scire licebit num quid aliud existat atque cogitatio mea et ejus objecta, sive essentiæ, quatenus in ea repræsentantur. Quum enim et mea natura, et objectorum natura illorum, quatenus ideis meis exhibentur, imperfecta sit, nihil probat fixam existentiam ad objectorum et ad meimetipsius essentiam pertinere (2). Hactenus igitur existentia ea, quæ verbo « Sum », tanquam

(1) *Med.*, V, § 7.

(2) *Renati Desc. Notæ in programma quodd.*, de art. XV, edit. Garnier, vol. IV, p. 89.

cum essentia « Cogito » juncta, exprimitur, non pro reali et actu posita, sed tantum pro cogitata et possibili habenda est (1).

Quod si, nulla quidem adhuc idonea ratione fretus, existere res extra intellectum meum positas assumerem, mihi in incerto esset num qua relatio inter res illas et mei intellectus objecta posset admitti.

Quare evidentiæ criterium per se mancum et imperfectum est, quippe quod ad existentias non pertineat. Num autem illud sufficit ad certitudinem de essentiis ipsis, id est de intellectus objectis, solis in se spectatis, comparandam?

Certe si nihil aliud cupiam atque scire quid cogitem et quomodo cogitationes meæ aliæ ex aliis sequi videantur, non erit quod in evidentia desiderem. Mea autem interest nosse utrum essentiæ, vel tanquam cogitationis objecta spectatæ, in se veræ æternæque sint, an cum fugitivis et contingentibus mentis meæ actionibus in unum misceantur (2).

Quod etiam solius intellectualis evidentiæ ope non decernere est. Quippe quum voluntatem meam radicitus imperfectam esse sciam, qui jam certus esse possim me, vel intellectui voluntatem accommodando, absolutam assequi veritatem? Me quidem haud fallit hoc pacto harmoniam unitatemque in mente mea effici, quæ mihi procul dubio pro bono est. Cur autem illum meæ voluntatis usum reipsa meliorem esse existimem quam voluntatis cum intellectu discrepantiam?

(1) II[dæ] Resp., ax. X.

(2) *Med.*, V, § 7.

Meumne intellectum pro veritatis absolutæ mensura statuam?

Scilicet libera mea voluntas, postquam suam ipsius imperfectionem confessa est, ipsum intellectum in jus vocat. Quem primo valde finitum esse scio, nec nisi ad ea pauca, quæ illi offerantur, se extendere (1). Periculum autem est ne manca cognitio, propter inadæquate repræsentatas rerum relationes, falsa sit. Porro quam in puris ideis, affirmatione et negatione nudatis, perfectionem ponam? Jam illæ, ad summam, nec veræ, nec falsæ sunt (2), sed veritatis aut falsitatis tantum capaces; nec satis liquet qui imperfectæ voluntatis assensio veritate eas instruere possit.

At enim puri intellectus objecta, sive innatæ ideæ (3), fortasse jam nihil aliud sunt atque proprie dicta judicia, quæ de ideis ab altiori intellectu propositis a potentiori voluntate feruntur.

Quibus quidem positis, posse illas veras esse non negaverim; sed mihi quid spondet voluntatem illam, ut potentiorem, ita meliorem et perfectiorem esse, quam ipsa mea est? Qui sciam annon illa voluntas, quod ad me attinet, deceptoris genii, ut ita dicam, partes usurpet (4)?

Igitur evidentia nec ad omne veritatis genus idoneum criterium est, nec sibi ipsi sufficit. Neque fixam absolutamque assequi potero certitudinem, nisi si principium id deprehenderim, quod mihi spondeat non

(1) *Princ.*, I 35.

(2) *Med.*, III, § 6; IV, § 7.

(3) Ep. ad. P. Mers., edit. Garnier, vol. IV, p. 299 (edit. in-12, vol. IV, ep. 22).

(4) *Med.*, I, § 10.

modo veras esse meas de essentiis claras ideas, sed etiam mihi licere ab essentiarum cognitione ad existentiarum affirmationem transire.

§ IV

DE DEI EXISTENTIA.

Hoc ad ultimum tollitur dubitatio, quod cognosco perfectum ens non solum existere, sed etiam effectorem esse intellectus mei voluntatisque.

Ex meis autem ideis unam reperire est quæ nulli alii componi possit, quæque mihi forsan inconcussum illud præstet principium, cujus indigeo : ea est perfecti entis idea, sive Dei.

Ens enim perfectum quum essentia quædam est, tum, quod de nulla alia essentia dici potest, existentiam involvit necessariam (1). Quippe æque imperfectum fieret, si nihil nisi essentia foret, aut nihil nisi existentia. Certe apud illud existentia essentiaque indissolubili nodo conjunctæ sunt. Neque his objicias de cogitata tantum essentia existentiaque hic agi. Nam in perfecto ente continetur infinita ea potentia quæ ab intellectu comprehendi nequeat, quæ etiam, si sola in se spectetur, extra intellectum sit; ipsa autem illa potentia, cum ea essentia conjuncta quæ existentiam requirat, veluti causa est existentiæ Dei. In se igitur necessario perfectum ens existit. Hoc autem nemo revera attingat, nisi id esse *velit* simul atque *concipiat*,

(1) *Med.*, V.

id est nisi ad id, non solum eam mentis facultatem quæ ad essentiam pertinet, sed etiam illam quæ ad existentiam, adhibeat atque intendat (1).

Porro num inter perfectum ens et intellectum voluntatemque nostram relatio ea demonstrari potest, cujus ope ex illius existentia ad cogitationes actionesque nostras aliquid absoluti redundet ?

Jam quotiescumque intellectus meus veritatem investigat, perfectæ naturæ idea illi adest (2). Aliter autem se habet hujus ideæ objectum atque sensibilia objecta, aut etiam essentiæ illæ quæ meo intellectui æternæ videntur. Quorum alia meo intellectu inferiora, alia ei adæquata sunt : unum perfectum ens intellectus mei captum infinite excedit. Unde illius ideæ causa, quippe quæ realitatis formalis actualisque tantum continere debeat quantum ipsa idea mea objectivæ, non in me ipso, sed in ente summe perfecto, sive Deo, tanquam a me diverso, ponenda est. Deus igitur, ut a meo intellectu diversus est omniumque illius imperfectionum immunis, ita relationem quamdam meo cum intellectu admittit, quippe cui ipsam perfecti entis ideam quasi imprimat. Quumque ens illud perfectum plus in se formalis realitatis contineat quam omnes ideæ meæ (dempta saltem ipsius idea) objectivæ realitatis continent, æquum est me, simul atque ejus formalem realitatem causam esse meæ de perfecto ente ideæ existimo, etiam illud pro prima causa statuere tum intellectus mei, tum objectorum ejus captum non excedentium.

(1) Ep. ad D. A. Buitendiik, edit. Garnier, vol. IV, p. 217 (edit. in-12, vol. III, ep. 10).

(2) *Meth.*, IV, § 4. — *Med.*, III, § 7-19.

Rursus quotiescumque voluntas mea bonum quoddam persequitur, id est quotiescumque sese illa exercet, perfectum ens ipsum illi magis minusve mediate pro ultimo scopo est. Quum autem sibi omnes perfectiones comparare nequeat quas sibi proponit, illi confitendum est non esse se ipsam suæ existentiæ causam, neque etiam conservationis, quæ alio nomine idem est (1). Ergo creatur et conservatur voluntas mea ab ente quodam ab ipsa diverso, necnon (quum in infinitum regressus, quoad præsentem conservationem, non detur) per se existente; ens autem illud nihil aliud atque ipsum ens perfectum esse potest, quum ex eo ipso contingens mihi appareat voluntatis meæ existentia, quod perfectionem sibi præstare illa non valeat. Voluntas igitur mea et existentia haud secus quam intellectus et essentia mea relationem quamdam cum ente perfecto, sive Deo, sustinet. Qui quidem, utpote actu et formaliter positus, effector est unius alteriusque.

Quæ quum ita sint, mihi jam datur e dubiis in quæ incidi omnino emergere, fixasque et absolute veras assequi cognitiones.

Scilicet evidentiæ criterio jam novam significationem atque vim tribuere possum.

Propositio quidem illa : « Cogito ergo sum, » quæ mihi evidentiæ archetypum est, ideo præ ceteris ponenda fuit, quod minime per discursum cognoscitur (2), sed per se, individuo temporis momento, percipi potest ac proinde clare distincteque, omni ex parte,

(1) *Meth.*, IV., § 4. — *Med.*, III, § 20-24.

(2) II[dæ] Resp., § 22. — Ep. ad D***, edit. Garnier, vol. IV, p. 326 (edit. in-12, vol. VI, ep. 63).

mentis obtutu perspici, eo ipso tempore quo pronuntiatur.

Ideo tamen mihi vel illa propositio pro veritatis fundamento valere non poterat, quod a relativo intellectu concipitur et ab imperfecta voluntate pronuntiatur (1).

Ea igitur est última certitudinis conditio, scilicet æternum quoddam principium, actuale dumtaxat perfectumque, ex quo pronuntiatum illud : « Cogito ergo sum », quod humanæ cognitioni pro initio est, veluti suspendere liceat.

Jam autem hoc ipsum est, quod in Dei natura reperio. Quippe Deus ea essentia existentiaque est, quæ ut absolute una, ita non tantum ad unum temporis momentum (sive ad illud infinite exiguum punctum, quo conjunguntur inter se tempus et æternitas) pertinens sit, sed omnino extra temporis durationem sit posita, æternaque positivo sensu dici debeat.

Nec minus est absoluta perfectio eademque actualis Deus.

Quare in Deo est hæc pronuntiare : « Cogitó ergo sum » vel quod illi idem est : « Ego sum » alio sensu atque in homine.

Namque non solum hoc a Deo exacte intelligitur, sicut ipse ego propositionem hanc : « Cogito ergo sum » exacte intelligo (unde relativa quidem, non autem absoluta certitudo effici potest), sed etiam, propter singularem divinæ essentiæ existentiæque naturam, jam absoluta veritas triplici illi atque uni affirmationi competit, quæ tum ad existentiam verbo « sum », tum ad essentiam verbo « ego », denique ad existentiæ essen-

(1) *Med.*, V, § 7.

tiæque unitatem verborum inter se relatione pertinet.

Ego autem non ex alio fonte atque ex ipso pronuntiato : « Cogito ergo sum » (scilicet innatam illam perfecti entis ideam explicando quæ mea cogitandi facultate implicite continetur) Dei existentiæ cognitionem hausi. Quare rursus ex hac cognitione novum lumen in pronuntiatum illud jam demittitur (1).

Quum enim hæc propositio : « Cogito ergo sum » essentiam existentiamque æterni entis et utriusque ad alteram relationem exacte, quantum quidem in durationi obnoxio ente fieri potest, referat, proque nota artificis operi suo impressa haberi debeat, quumque ipsa duarum naturarum conjunctio apud Deum effectu reperiatur, jam manifestum est non objectivam tantum, sed etiam actualem cogitationi meæ competere existentiam, saltem quantum hanc creata natura recipit.

Præterea una ex parte quum Deus ille perfectus effector sit finiti mei intellectus æternarumque earum veritatum quæ ab illo comprehendi possunt, jam liquet absolute verum esse quod a meo intellectu clare distincteque percipitur. Quumque mihi temporis duratio pro ea æternitatis imagine valeat, quæ ad creatam naturam sit accommodata, jam ad ea quæ per discursum cognoscuntur certitudinem transfero quæ ad intuitive cognita pertinet : quippe ratus ratiocinationem cognitionis intuitivæ vicem apud durantem intellectum explere.

Altera autem ex parte quum idem perfectus Deus et voluntatem meam, et fines creaverit quos illa tanquam reali existentia dignos persequitur, jam volun-

(1) *Med.*, V, § 8, 9.

tati meæ (dummodo recta sit, id est, ab ipso Deo propositum sequatur finem) tribuenda est facultas de actuali rerum existentia jure pronuntiandi, sive verbum « esse » inter subjectum et prædicatum reali sensu interponendi.

Quæ quum ita sint, jam fixæ, adjuvante Deo, cognitiones fiunt, quæ per se vagæ tantum et mutabiles erant. Scilicet aliud deinceps evidentia spondet, quam mihi vera esse mei intellectus objecta eo ipso temporis puncto quo ea clare percipio. Jam veras meo respectu essentias pro absolute veris habeo, cognoscoque positas extra intellectum existentias essentiis effectu competere.

Porro evidentia menti meæ, quæ res intuitive, sive apud illarum creatorem, cognoscere non valet, pro regula ea est, quæ non solum rebus facilius applicari possit, sed etiam a Dei notione tam immediate depromatur, ut illius vicem, quod ad veri disquisitionem attinet, explere videatur.

Non ideo tamen obliviscendum absque Dei existentia nihil aliud posse evidentiam, quam veras esse *mihi* cogitationes meas, quo tempore eas concipio, confirmare; non esse igitur eam, per se, fundamentum illud, in quo fixa absoluteque vera scientia ædificari possit. Namque ex ipsa Dei existentia vim illam evidentia mutuatur, quam ei jure tribuimus. Quare ita evidentia uti ut illius ope Dei existentiam infitiari tentaremus, nihil aliud esset atque ipsam evidentiam de honore suo dejicere (1).

(1) F. Bouillier, (*Histoire de la philosophie cartésienne*, III^{tia} edit., vol. I, p. 83, sq.), optime demonstravit circulum, qui Cartesio sæpius

§ V

DE ANIMÆ A CORPORE DISTINCTIONE.

Ex relatione Dei ad pronuntiatum hoc : « Cogito ergo sum » actualem animæ meæ a corpore distinctionem deduco.

Non igitur pronuntiatum hoc : « Cogito ergo sum », sed ipsa Dei existentia pro fundamento omnis cognitionis et realitatis statuenda est (1). Quod ad superius pronuntiatum attinet, quasi punctum illud esse dixirim quo creaturæ creatorque se invicem contingunt, aut veluti carmen quoddam, quo finitis entibus infinite perfecti entis reseratur sedes.

Hoc autem ex Dei consideratione, sive entis in quo essentia existentiaque necessario conjunguntur, mihi jam liquet, scilicet existentiam illam, quæ in hoc effato : « Cogito ergo sum » affirmatur, haud objectivam tantum, sed etiam effectivam esse. Ergo ens illud quod cogitat propriam existentiam, quatenus cogitat, possidet, absque reliquis existentiis quibuscum conjungi

exprobratus est, specie potius quam re existere. Distinxit enim ille evidentiam in se ipsa spectatam, id est qualis fit in nostro intellectu, a fundamento illo, extra intellectum nostrum posito, quo evidentia nititur et propter quod ea vim illam exhibet cui resisti nequit, conclusitque non una eademque ratione evidentiæ auctoritatem et Dei existentiam sibi invicem apud Cartesium argumento esse : quum *cognoscendi* quidem ratione evidentiæ auctoritas prior cognitione Dei ab illo habeatur, *essendi* autem ratione Deus evidentiæ auctoritate prior.

(1) Ep. ad P. Mers., edit. Garnier, vol. IV, p. 134 (edit. in-12, vol. II, ep. 43). — II[dæ] Resp., § 23. — V[tæ] Resp., § 56.

potest, qualis sit, exempli gratia, non cogitantis, sed cogitati tantum existentia corporis. Præterea mihi credendum est fore ut ego, quamdiu cogitabo, tanquam res cogitans subsistam; quum autem quidquid de me concipere vel fingere possum cogitationem involvat, immortalis apparet quæ cogitanti animæ meæ competit existentia.

§ VI

DE VERITATIBUS ET REBUS.

E relatione Dei ad meum intellectum veritatem essentiarum simul ac realitatem existentiarum deduco, quæ ab hoc comprehenduntur.

Jam e cognitione relationis quæ ens perfectum inter et duas mentis meæ præcipuas facultates existit alia deducam principia.

Quippe, quoniam intellectus meus Dei creatura est, a Deo etiam procedunt innatæ illæ ideæ quas ille in se ipso deprehendit, quando naturam suam perscrutatur (1), id est essentiæ illæ quas definire et inter se connectere valet, secundum insitas sibi leges et per ratiocinationem operando. Quas quidem essentias nihil aliud esse dixerim atque ipsam Dei essentiam, propter discurrentis intellectus infirmitatem ab existentia separatam atque in partes divisam (2). Unde et æternæ illæ sunt, et ab humano intellectu possunt comprehendi.

(1) Ep. ad D***, edit. Garnier, vol. IV, p. 326 (edit. in-12. vol. VI, ep. 63).

(2) *Meth.*, V, § 2.

Sunt igitur essentiæ, quoad hominem, veræ ac necessariæ, quamvis contingentes sint Dei respectu, quippe cui liberum fuerit sese alio modo creaturis retegere.

Jamque meum assensum non iis solis principalibus essentiis tribuam quas veluti per se cognosco. Quum enim illæ quæ mihi per discursum notæ sunt ad essentias per se notas ratiocinatione reduci possint, quumque temporis duratio et memoria mea, a quibus ratiocinatio pendet, a Dei ipsius æternitate intuitivaque cognitione procedant, mihi est idem assensus, et per se notis essentiis, et ipsis inde rite deductis consequentiis, tribuendus (1). Atque ita mihi essentiæ divinæ (absque divina potentia consideratæ) intelligibilis unitas legitimam facit logicam deductionem.

Quomodo autem conciliari potest æternarum veritatum existentia cum infinita illa Dei libertate, cui in æternum liberum remanere debet hoc aut illud efficere? Nonne eæ veritates, quæ æternæ sint, etsi a Deo creatæ, ei tanquam fatum insuperabile rursus fiunt?

Imo divina libertas potentiaque non ita fingenda est, ut cæca sit et mobili fortunæ similis. Nempe una est ea cum divina essentia quæ actu perfecta est. Neque absque essentia sese exerceret, quin divina esse potentia desineret. Actualis autem perfectio, sive divinus intellectus, immutabilis est. Ergo Dei voluntas, ut quæ ipsius divini intellectus exseri objecta jubeat, etiam immutabilis esse debet (2). Ceterum divinam omnipotentiam veritates æternæ non exhauriunt, neque cum fato,

(1) IIdæ Resp., § 22, 23. — Vtæ Resp., § 57.

(2) Ep. ad P. Mers., edit. Garnier, vol. IV, p. 304 (edit. in-12, vol. IV, ep. 71).

Deo ipsi æquali, conferri possunt. Etenim quum nihil nisi essentiæ sint, effectivæ existentiæ inopes, unius tantum divini attributi, id est rationalitatis, sunt participes, nedum Deo, quippe cui tum essentia, tum existentia insit perfecta, æquari possint (1). Ergo pro creaturis procul dubio habendæ sunt, Deo infinite inferioribus; atque penes Deum semper est alias creare veritates quæ cum iis quas novimus vel contradictoriæ sint, dummodo illæ cum infinita perfectione non discrepent.

Quemadmodum autem ea facultas qua veritates æternas cognosco, ita a Deo procedit instinctus ille conjuncti cum voluntate intellectus, cujus ope hic existentias extra se ipsum positas concipit (2). Quæ quidem mihi in substantiali natura, duratione, ordine et numero potissimum consistere videntur. Scilicet intellectus meus, jam divinam voluntatem potius respiciens, censet omni essentiæ eam existentiam a Deo impertitam esse, qua illius perfectio, ut ita dicam, digna erat. Interea creatricem omnipotentis Dei operationem intellectus meus pro independenti ab essentiarum dispositione habet, omnesque substantias, quatenus in tempore durant, invicem independentes esse assiduoque Dei et immediato (non essentiarum ipsarum) concursu conservari putat (3); denique existentiam ipsam nihil nisi certam essentiarum com-

(1) V^{tæ} Resp., de V^{ta} Med., I, edit. Garnier, vol. II, p. 318.

(2) *Princ.*, I, 48, 49.

(3) Resp. ad Hyperasp., 7°, edit. Garnier, vol. IV, p. 258 (edit. in-12, vol. III, ep. 16).

plexionem esse (1), quam Deus libere extra nostrum intellectum efficiat creetque.

Quumque intellectum meum a summa perfectione procedere sciam, jam illius instinctum, quod ad existentiarum et essentiarum cognitionem attinet, sequi non dubito; atque ita scientiæ prima principia adipiscor ejus, quæ non ad ea quæ esse videntur, sed ad ea quæ revera sunt, pertineat.

§ VII

DE LIBERO ARBITRIO ET JUDICIO.

E relatione Dei ad meam voluntatem liberi mei arbitrii realitatem simul ac rationalium meorum judiciorum veritatem deduco.

Nec intellectus tantum, sed etiam voluntas mea Dei naturam refert atque ab illo creata est.

Inde sequitur realem et positivam esse facultatem liberum illud arbitrium vel potentiam determinandi se ad contrariorum alterutrum, quam voluntati meæ inesse experior (2). Mihi quidem, propter liberi arbitrii infinitatem (3), in incerto erat an illud mera indifferentia esset, sive determinationum negative infinita capacitas, quæ absque agendi rationibus temere fierent. Nullam enim aliam positive infinitam facultatem in me reperio. Jam autem ex Dei contemplatione cognos-

(1) *Med.*, I, § 6.

(2) Ep. ad qd. R. P. Jesuit., edit. Garnier, vol. IV, p. 145 (edit. in-12, vol. II, ep. 46).

(3) *Med.*, IV, § 7.

co illi infinitam voluntatem inesse, idque sane positivo sensu, quum talis voluntas perfectio sit. Porro voluntas, si ejus essentiam spectes, in una tantum re et tanquam in indivisibili consistit (1). Ergo si mihi imago quædam et similitudo divinæ voluntatis inest, profecto realis et positiva facultas ea esse debet, quæ divinam illam, saltem quoad infinitam sese determinandi potentiam, referat (2).

Atque ex eadem Dei existentiæ cognitione notitiam hujus haurio, in quo liberi arbitrii perfectio, id est proprie dicta *libertas*, consistit.

Quemadmodum enim verum est ante determinationem voluntati omnino liberum esse contrariorum alterutrum eligere, posse etiam illam abstinere a persequendo bono aliquo, quod sit nobis clarissime notum, vel ab admittenda veritate quapiam evidente, modo cogitemus bonum esse hoc ipso testari arbitrii nostri libertatem (3) : ita, cognito dumtaxat perfecto Deo, admitti nequit nihil aliud libero nostro arbitrio nisi se ipsum pro fine propositum esse ; omnesque ejus actiones æque bonas esse, dummodo ab eo, nec ab alia qualibet causa, procedant.

Primo quidem haud fieri posse videtur, ut liberum arbitrium, præcise spectatum, se ipsum pro fine actionum suarum statuat. Hoc enim non nisi se ipsum pro uno ex bonis habendo (4) perficere valeat. Unde

(1) *Med.*, IV, § 13.

(2) *Med.*, IV, § 7.

(3) Ep. ad R. P. Mers., edit. Garnier, vol. IV, p. 136 (edit. in-12, vol. II, ep. 43).

(4) Ep. ad. D***, edit. Garnier, vol. IV, p. 126 (edit. in-12, vol. II, ep. 41).

autem illam *boni* ideam, quæ quidem determinata est et contrarium sui excludit, liberum arbitrium haurire possit (modo idea illa non fictitia existimetur), nisi ex essentiæ cujusdam cognitione, quæ ab indeterminata potentia prorsus differat?

Porro fac liberum arbitrium, ex se ipso quam minime egressum, idea illa determinari, qua nobismet ejus potentiam pro bono repræsentamus : jam quid de tali actione existimandum? Infinitum quidem est, vel apud hominem, liberum arbitrium; id autem non, sicut apud Deum, quatenus cum summe perfecta essentia conjunctum est, sed quantum ante determinationem et absque illa spectatur, id est quatenus realitatis actualis quam minimum in se habet. Scilicet ut illud quasi punctum est quo Deum homo contingit, ita infinite exiguum hoc punctum esse dixerim. Quare ipsum liberum arbitrium pro suarum actionum fine statuere, id est indifferenter (quantum id fieri potest) sese determinare, nihil aliud homini esset atque in infimo remanere libertatis gradu (1).

Præterea quoniam necesse est liberum arbitrium, ut sese determinare possit, a se ipso, ut ita dicam, egredi, seque ad bonum convertere tanquam ad essentiam determinatam et extra ipsum positam; manifestum est illud munus suum non expleturum, si ei satis sit hoc aut illud bonum, habita nulla pretii absoluti ratione, casu persequi. Optima autem voluntas Dei essentias creavit veras atque bonas, quæ divinam perfectionem, eo modo qui ad mentis humanæ facultates accommodatus sit, exhibeant. Quare

(1) *Med.*, IV, 7.

illas veritates affirmare et illa bona efficere libero hominis arbitrio studendum est (1). Unde libertas ipsa, sive liberi arbitrii perfectio, nihil aliud est atque voluntatis conditio hujus, quæ duplicem illum finem assequitur.

Scilicet ut liberum arbitrium indeterminatum est, ita libertas nullam patitur indifferentiam (2); utque illud aut infinitum aut nullum est (3), ita illa innumeros admittit gradus. Qui quidem pendent quum a claritate cognitionis quæ libero arbitrio adjuncta est, et ab objectorum numero ad quæ se cognitio extendit; tum a divina gratia quæ liberum arbitrium adjuvat ad id amplectendum quod intellectus tanquam optimum proponit, atque etiam ab efficaci illa potentia quæ essentiis sive finibus ab intellectu propositis actualem præstat existentiam (4). Quo autem melius requisita illa suppeditantur, eo libentius, firmius et efficacius homo sese determinat, id est eo plenior fit ejus libertas (5). Quæ denique pro voluntatis ejus conditione haberi potest, cujus liberum arbitrium bona a Deo proposita sponte amplectitur.

Quomodo autem potest liberum illud arbitrium, quod utique libertati pro radice est, cum divina præscientia et præordinatione conciliari ?

Constat quidem Deo omnes actiones nostras ab æter-

(1) VIta Resp., § 11.

(2) Ep. ad R. P. Mers., edit. Garnier, vol. IV, p. 137 (edit. in-12, vol. II, ep. 43).

(3) *Med.*, IV, § 13.

(4) *Med.*, IV, § 7.

(5) Ep. ad P. Mers., edit. Garnier, vol. IV, p. 138 (edit. in-12, vol. II, ep 43).

no esse notas. Divinam autem omniscientiam ab omnipotentia vel divinum intellectum a voluntate segregare non licet. Quippe divinus intellectus, utpote voluntati æqualis, creatas ab hac existentias non sub ratione mutuæ illius dependentiæ et necessarii nexus cognoscit, qui apud essentias et æternas veritates, quæ ipsæ creaturæ sunt, reperitur. Est autem quoddam cognitionis genus, quod logicam scientiæ nostræ formam discurrentemque ratiocinationem infinite exsuperat, nempe intuitio vel rerum per se cognitio (1): idque solum dignum est quod cum creatrice voluntate conjungatur.

Porro non essentiarum earum ope, quæ inter se necessitatis vinculo conjunguntur, sed immediate et separata actione creat Deus videtque omnes existentias, præcise spectatas (2). Unde nihil est cur statuamus eas iisdem legibus atque essentias a Deo submissas esse. Constat etiam temporis partes, ac proinde existentias quæ ad illas pertinent, alias ab aliis esse independentes (3), et unamquamque existentiam unoquoque momento a separata creatrice actione proficisci. Admitti ergo potest esse in Dei omnipotentia (quippe quæ infinita et incomprehensibilis remaneat, quamvis cum actuali ratione conjungatur), liberas voluntates liberasque voluntatum determinationes creare, haud secus quam inter se dependentes essentias; neque æternam eam cognitionem, quæ Deo de illis determinationibus insit, necessarias facere illas, quoniam cognitio illa

(1) Ep. ad D***, edit. Garnier, vol. IV, p. 326 (edit. in-12, vol. VI, ep. 63).

(2) *Princ.*, I, 41.

(3) *Princ.*, I, 21.

ab essentiarum cognitione diversa et lege necessarii nexus immunis sit.

Quemadmodum autem liberum arbitrium, sive ipsa voluntatis existentia, a perfectione ac præcipue a potentia divina procedit : ita a Deo sunt, verum tanquam actuali perfectione potius spectato, determinationes quas sibi liberum arbitrium, concurrente intellectu, comparat, quæque suam voluntati propriam addunt essentiam. Unde sequitur ut, vel apud hominem, bona voluntas absolutum habeat pretium. Quid autem bona voluntas esse potest ?

Una ex parte non in eo voluntatis perfectio consistere potest, ut divitias aut honores possideamus, vel ingenio, eruditione formave præpolleamus (1), quum, ad externa illa bona assequenda, voluntas plus minusve inutilis vel impar sit. Imo voluntatis perfectionem in ejus tantum boni possessione ponere licet, quod per ipsam comparari et debeat et possit.

Altera autem ex parte bonæ voluntatis conceptus non ad puræ et sejunctæ ab omni essentia voluntatis conceptum reduci potest, quia tali voluntati nulla jam superest electionis cujuslibet ratio, bonum autem prædeterminatum quoddam est, quod contrario anteponi debet.

Ea igitur demum voluntas bona erit, quæ bonum possidebit et a se ipsa diversum, et sibi ipsi ac soli oblatum.

Ex omnibus autem voluntatis operationibus unum est quod illis conditionibus satisfacere possit judicium,

(1) *Pass.*, III, 154.

sive decretum illud, ad existentiam pertinens, quod de ideis ab intellectu propositis voluntas facit (1).

Ac primo tota moralis vita judiciis continetur. Una enim ex parte omnis actio e judicio quodam sequitur (2): nec quidquam in actione voluntarium est, quod in judicio prius non fuerit ex quo profecta est (3). Ex altera autem, omne judicium ad actionem tendit, vel potius actio jam est, quum nihil unquam affirmare aggrediamur, quin hoc nobis propter finem quemdam, quem persequimur, utile sit. Quid autem, morali sensu, agere est, nisi finem quemdam sibi proponere, eaque adhibere, quæ fini illi accommodata videntur? Nec mirum, si ad existentiam omne judicium pertineat, quippe quæ in actione requisita sit.

Deinde implicat judicium diversas a voluntate essentias inter quas relationes statuantur, atque ita meræ voluntatis natura quasi plenius ac ditius est. Nec minus penes nos semper sunt judicia nostra, sive decreta quæ voluntas de propositis ab intellectu ideis facit; eademque sola penes nos omnino sunt. Unde est in judicio quærendum bonum illud determinatum quod a voluntate effici et possit, et debeat.

Scilicet illa quidem est moralis vitæ quasi materia. Quum autem forma ea, quæ materiæ datur, præcipui sit pretii; necnon sit judicium variarum formarum capax : jam in quo consistat judicium illud, quod rectum bonumque dici possit, investigandum.

Profecto recte judicat qui verum bonumque pro

(1) *Princ.*, I, 34. — Resp. ad Inst., § 3. — *Med.*, III, § 6.
(2) *Meth.*, III, § 5.
(3) *Meth.*, III, § 4.

regula habet relationum, quas inter ideas ab intellectu propositas statuit. Ubi autem quærendum verum illud et bonum, quod voluntas pro fine habere debet?

Deus quidem ipsum si consideres, profecto fieri non potest, ut apud eum actionis regula ab agenti ente diversa reperiatur, quoniam natura divina omnino una est. Quanquam jam in eo Dei conceptu, quem finitus noster intellectus patitur, actionis regula cum agenti potentia non confunditur. Neque etiam una eademque illa est atque lex ipsa, præcise sumpta : quum lex nihil aliud sit atque relatio ea, quæ potentiam inter et essentiam existit, ac proinde irrationalis abstractaque appareat, simul atque essentia ex ea detrahitur. Selicet in ipsa essentia, tanquam a potentia simul et lege diversa, necnon æque principali atque ipsa potentia est, reperitur, quoad nos, Dei decretorum ratio et regula.

A fortiori autem humanæ voluntati non in se ipsa, tanquam in potentia pura, judiciorum regula quærenda est. Imo ab intellectu ipso, cui a perfecto Deo conjuncta est, ei concreta illa regula exhibetur, cujus indiget.

Scilicet ultimum est intellectus nostri objectum verum illud bonumque, tum æternum, tum hominis facultatibus accommodatum, quod nobis eo magis liquet quo id attentius consideramus, quodque ab ipso Deo proficiscitur.

Atque haud infitiandum est intellectum nostrum, propter finitam ipsius naturam, non nisi operose et imperfecte vel illud mitigatum lumen perspicere (1).

(1) Ep. ad D***, edit. Garnier, vol. IV, p. 326 (edit. in-12, vol. VI, ep. 63).

Verisimile etiam est nunquam omnes essentias his in terris cogniturum esse intellectum nostrum, quippe qui eas tantum cognoscat, quæ ipsi offerantur, nesciat autem qua sit ratione utendum, ut ipsi offerantur omnes (1).

In eo autem est quasdam essentias clare distincteque percipere; et, quatenus, tunc saltem, objecta a perfecto Deo creata, qualia sunt, cognoscit, jam de quibusdam absolute verum assequitur. Ergo voluntas apud intellectum ipsum, saltem in iis quas ille concipere potest claris distinctisque ideis, finem illum absolute bonum reperit, cujus consectatione et vagum liberum arbitrium rite determinet, et fixa rectaque assequatur judicia.

Recte igitur judicat voluntas, quando in affirmatione sua limites ejus non transgreditur, quod clare distincteque intellectus percipit.

Quando autem intellectus nihil nisi confusas concipit ideas, voluntati judicium est cohibendum (2), jamque leges illæ intellectuales, quibus uti potest, ita adhibendæ, ut ante intellectus obtutum adducantur objecta ea quæ ad claras ideas, sive ad determinationis rationes, suppeditandas, idonea sint (2).

Denique, si propter judicium quoddam generale, idque certo rectum, quod prima fronte pro fine persequendo jure statuatur, necesse sit de particularibus iis, quæ mediorum vicem agere debeant, ante pronuntiare, quam de his claras ideas comparare potuerimus,

(1) *Princ.*, I, 35.

(2) *Princ.*, I, 39.

(3) Ep. ad R. P. Mers., edit. Garnier, vol. IV, p. 136 (ed. in-12, vol. II, ep. 43).

jam voluntas, vel tunc, se determinandi jus habet, ita tamen ut opinioni ei assentiatur, quæ, in se spectata, maxime sit probabilis, non illi, quæ ipsius cupiditatibus maxime accepta sit.

Hoc pacto voluntas, cognita relatione illa quam ad Deum ipsa sustinet, existentiam suam, sive liberum arbitrium, jam non pro mera rei specie, sed pro re effectiva habet, discitque qui sit hoc libero arbitrio utendum ad libertatem, id est nulla ex parte impeditum agendi modum, consequendam; atque ei simul finis ille retegitur, a quo essentiam, quæ bonam ipsam efficiat, mutuari possit, qui quidem nihil aliud est atque congruentia judicii cum claris et distinctis ideis, sive humanæ voluntatis cum divina. Unde nobis ejus moralis artis principia efflorescunt, cui veritas insit absoluta.

CONCLUSIO

DE CARTESIANA PHILOSOPHIA, QUATENUS PROPOSITA DOCTRINA ILLUSTRATUR.

§ I

SUMMA.

Ad summam, Dei idea, quam proposita de veritatibus æternis doctrina exhibet, Cartesianæ philosophiæ quasi cardo est.

Denique, secundum Cartesium, Deus absoluta est perfectio, quæ quidem ab æterno, sine ulla vel rationali alterutrius prioritate, et tanquam in unum absolute redactas, quum existentiam, tum essentiam continet perfectam, id est quum absolute indeterminatam potentiam, tum absolute determinatum actum, vel quum infinitam libertatem, tum exactum bonum, vel etiam quum perfectam voluntatem, tum intellectum perfectum. Cui inesse, tanquam subjecto, veritates æternas admitti nequit, quippe quæ non solum a finito hominis intellectu comprehendi possint, sed etiam inter se, secundum contradictionis principium, id est secundum necessitatis legem, cohæreant, ac proinde nullum libertati locum relinquant. Profecto ita de-

mum veritatum illarum existentia cum Dei infinitate ac libertate conciliari potest, si illæ, vel quantum contradictionis principio reguntur, non pro Deo ipsi insita forma, sed pro contingentibus Dei creaturis, neque pro rebus existentibus, sed pro essentiis non nisi tanquam intellectus objectis positis habeantur.

At enim, qui fieri potest, ut Deus a contradictionis principio independens sit ? Quod si concedatur, nonne jam æque dici potest Deum et esse et non esse ?

Imo quando divinam perfectionem perscrutamur, apud eam tum indeterminatam potentiam, tum terminatam per modum perfectionis essentiam reperimus ; id est duas naturas quæ, ut in perfectione æque requisitæ, ita inter se contradictoriæ sunt. Deus igitur nihil quidem admittit quod cum perfectione pugnet, id est absolutam excludit contradictionem. Quæ autem ab illo procedunt inter se contradictoria sive relative contradictoria esse possunt.

Porro inde cognoscitur quid sit Dei libertas, quod ad æternas veritates attinet. Una enim ex parte, quoniam perfectus Deus est, non nisi veras bonasque, id est cum sua perfectione congruentes creare potuit essentias. Altera autem ex parte, quoniam ei relative contradictoriorum mutua exclusio subjacet, essentias creare potuit eas, quæ inter se contradictoriæ essent. Quæ si relativa inter eas non reperitur contradictio, hoc a libero quodam voluntatis ejus decreto sequi existimare debemus.

Denique, propter id ipsum, non ab æternis veritatibus, tanquam ab absoluto primo principio, existentiæ procedunt. Quæ contra a Deo immediate, unoquoque

temporis momento, creantur et sustinentur, ea illis imposita essentiarum complexione, quæ ad fines divinos, comprehensibilibus essentiis superiores, accommodata sit.

Profecto illa doctrina magni in Cartesiana philosophia momenti est. Quam si respexeris, jam intelliges primo methodicam dubitationem tam longe extendi, ut vel mathematicas æternasque veritates et ipsum relativæ contradictionis principium involvat; tum pronuntiato huic : « Cogito ergo sum » singularem tribui certitudinem, quatenus illud, non solum individuam essentiam, relativæ contradictionis lege immunem, sed etiam existentiam minime extra intellectum positam exhibeat; tum mancum haberi evidentiæ criterium, quamdiu ratio non reddita sit, non solum cogitationis sive essentiæ a relativæ contradictionis principio pendentis, sed etiam admissæ ab essentia ad effectivam existentiam transitionis; tum reliquis Dei existentiæ argumentis hoc ratione prius esse, quo essentiæ existentiæque arctissima apud eum conjunctio demonstratur; deinde præcipua illa argumenta esse, quæ tum ab insita nostro intellectui perfectionis idea, tum ab existentia nostra cum nostræ imperfectionis conscientia composita deducantur, quum ex iis arguméntis intellectus nostri et voluntatis relatio ad creatorem perfectum Deum cognoscatur; hinc in Dei natura cognoscendi essendique principia reperiri; posito scilicet illo, jam evidentiam de cogitationis actuali existentia simul ac de veritatibus logice inter se connexis et de rerum posita extra intellectum existentia spondere; inde autem primo demonstrari cogitantis humanæ animæ a corpore cogitato distinctionem, sive

vim effectivam verbi « Sum » quod cum verbo « cogito » conjunctum est; inde etiam cognosci una ex parte essentiarum veritatem simul atque existentiarum propriam realitatem sive unoquoque temporis momento immediatam creationem: quæ quidem scientiæ duplex materia est; altera autem ex parte liberi arbitrii, perfectæque ejus formæ sive libertatis, realitatem, simul atque absolutam veritatem absolutumque pretium judiciorum illorum, id est voluntatis determinationum, quæ cum claris et distinctis intellectus ideis omnino congruant: quæ duplex est moralis artis materia.

§ II

DE CARTESIANA PRINCIPIORUM TUM DUALITATE, TUM UNITATE.

Hujus philosophiæ proprium est, Dei unitatem tanquam duorum inter se contrariorum principiorum reciprocam causalitatem concipere, similemque naturam, mutatis mutandis, omnibus creaturis attribuere.

Illam igitur Dei perfecti ideam, qui infinita potentia sit simul ac perfecta essentia ratioque, quique in se potentiam et rationem vinculo ex utraque procedenti conjungat et in unum redigat, cujus denique natura, hoc pacto, simul una atque triplex sit, philosophiæ Cartesianæ dispositioni quasi præfuisse dixerim.

Quæ si ita sunt, religionem tota illa philosophia, quoad illius altiora principia, redolet. Hinc Dei existentia, apud illam, tanquam vel citissime attingenda et demonstranda apparet, ut inde omnia deducantur.

Jam methodica dubitatio et tota de pronuntiato hoc : « Cogito ergo sum » dissertatio nihil aliud sunt atque gradus quibus ad Deum, tanquam ad propositum regressivæ philosophiæ finem, provehimur. Tota deinceps progressiva philosophia nihil aliud est atque divinæ essentiæ potentiæque explicatio, quantum illæ a nostro intellectu attingi possunt. Hinc etiam Deus ille Cartesianus non abstractus tantum Deus est, e separato a voluntate intellectu quasi dependens : quum contra sua ei existentia tanquam omnino principalis, absque ulla ratiocinata ratione, competere videatur ; neque ea, quod ad nos attinet, nisi a voluntate infirmitatem suam confitente, effective affirmari possit.

Quæ de Deo doctrina si introspicietur, duplex quidem illius deprehendetur species. Nunc enim, potentiam divinam Cartesius per se ipsam intuitus infinitamque esse debere ratus, eam præ essentia, ut quæ determinata sit, statuere videtur. Nunc autem, quum ad essentiam potius attendat et quæ sint in illa requisita ut perfecta sit, investiget, rursus hanc præ existentia, sive potentia, statuere videtur, ut quæ per se sui rationem reddere non valeat. Sed quando Cartesius affirmat nullam esse inter voluntatem divinam et intellectum, sive inter potentiam et essentiam, vel rationalem, prioritatem ; jam significat argumenta illa, ex quibus alterius prioritas sequi videtur, ad discurrentem hominis intellectum (θεωρίας χάριν, ut ait Aristoteles) accommodata esse, atque ideo possibilia, quod in Deo causalitatis illud genus reipsa existit, quod reciprocitas dicitur, id est in quo amborum alterutrum pro alterius causa haberi potest.

Quare æque cavet Cartesius Dei naturam aut in sola actuali perfectione ponere, ne quid ejus libertati, aut in sola infinita potentia, ne quid perfectioni detrahat. Nec etiam tanquam legem meram illum finit, quæ quum potentiam et essentiam requirat, a quibus procedat, non αὐτάρκης apparet. Deum autem æque perfectam potentiam ac perfectionem actualem esse asserit : quum potius habeat Deum supra humanam comprehensionem statuere, quam in ejus naturam imperfecti aliquid admittere.

Quæ existentiæ essentiæque tum distinctio, tum æqualitas unitasque apud creaturas, mutatis mutandis, etiam reperitur.

Deus una ex parte essentias, ut non omnis, ita effectivæ existentiæ expertes creavit (1), veritates scilicet æternas; ex altera autem existentias, ut non omnis, ita intelligibilis expertes essentiæ, scilicet durationis momenta, quorum prius posterioris nequaquam reddit rationem (2).

Tum creavit Deus substantias, sive naturas ex essentia et existentia ita constantes, ut neutra prior altera sit. Quæ, quoad cognitionem nostram, in duos gradus, spiritualium sive cogitantium, et materialium, sive cogitatarum, dividuntur.

Spiritualibus quidem substantiis conscia sui essentia ac potentia inest, duæque illæ naturæ dum sese exserunt, ita inter se miscentur et se invicem informant, ut animæ humanæ præesse nunc voluntas (3), nunc

(1) Imæ Resp., § 3.

(2) *Princ.*, I, 21. — Imæ Resp., § 6. — Vtæ Resp., § 35.

(3) *Med.*, IV, § 7. — Ep. ad H. Regium, edit. Garnier, vol. III, p. 393 (edit. in-12, vol. II, ep. 15).

intellectus (1) videatur. Existentia quidem, prout essentiæ fit magis particeps, transit in liberum arbitrium, voluntatem, judicium, bonam voluntatem, ac virtutem; essentia autem, prout potentiæ magis fit particeps, transit in ideam, intellectum, rationem, cognitionem ac scientiam.

Porro spiritualibus subjectæ substantiis materiales sunt, quæ potentiam atque essentiam etiam continent, verum haud cogitantes eas, sed tantum cogitabiles. Atque informante utraque alteram, potentia fit extensio indefinita, essentia autem figura atque motus.

Unde omnibus creaturis quædam est divini artificis impressa nota, sed ut nulla ex his Deo æquari possit. In substantiis quidem essentia existentiaque conjunctæ sunt, sicut apud Deum; utraque autem imperfecta est, et earum conjunctio, non absoluta unitas, reperitur. Tum nudæ existentiæ sive temporis momenta, et abstractæ essentiæ sive veritates æternæ, ut in suo quidem utræque genere perfectæ sunt, ita tamen a plena perfectione infinite distant, quoniam a contrario, ut non adulterantur, ita non aluntur. Quare nec substantiæ finitæ, neque ens indeterminatum aut veritates æternæ cum Deo confundi possunt. Exsuperat autem Deus omnia quæ nos comprehendere valemus. De quo unum nobis asserere licet, id est summe perfectum illum esse, nec fieri posse ut aliquid cum summa perfectione contradictorium illius naturæ et actionibus

(1) Ep. ad qd. R. P. Jes., edit. Garnier, vol. IV, p. 145 (edit. in-12, vol. II, ep. 46). — Ep. ad D***, edit. Garnier, vol. IV, p. 125-126 (edit. in-12, vol. II, ep. 41). — *Med.*, IV, § 11. — *Meth.*, III, § 5.

insit; proinde non nisi secundum fines certos agere Deum, quoniam sapiens sit, neque comprehensibiles illos debere esse, quoniam infinitus.

Talem apparere Cartesii philosophiam, si quis sublimem ejus de Deo doctrinam evolverit, dixerim. Omnia quidem, quæ ad illam pertinent, non ipse explicavit declaravitque. Eum tamen pro principio nunc intellectum, nunc voluntatem, denique intellectus ac voluntatis unitatem non temere atque casu statuisse judicaveris. Scilicet verisimile est tres illos res spectandi modos in illius mente ad unum redactos fuisse. Quæ nos dum perscrutamur et illustrare conamur, profecto non nisi imparem assequimur effigiem ipsius illius Cartesianæ perfectionis, apud quam tum fecundissimum et quasi infinitum ingenium, tum accuratissima omnia demonstrandi diligentia tam apte conjuncta erant et sibi invicem vires præstabant.

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. III non. Sept. ann. MDCCCLXXIV,

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

PATIN.

TYPIS MANDETUR :

Academiæ Parisiensis Rector;

Pour le Vice-Recteur,

L'Inspecteur de l'Académie,

PERRENS.

INDEX

PARISIIS. — EX TYPIS E. MARTINET, RUE MIGNON, 2.

Boutroux, E.

De veritatibus aeternis
apud Cartesium